



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermanni Conringii De Pace Civili Inter Imperii Ordines  
Religione Dissidentes Perpetuo Conservanda Libri Duo**

**Conring, Hermann**

**Francofurti ; Lipsiae ; Wittebergae, 1680**

Regula 8.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9585**

## VIII.

**N**on licet sive in perpetuum, sive ad tempus, ullam conditionem Pacis inire, quæ includat cooperationem directam cum hæresi. Nam hoc vel maximè spectat ad permissionem tertii generis, & est multò magis illicitum, quàm indirectè cooperari.

## IX.

**N**on licet Pacis causâ hæresin recipere in Jus publicum, eamque Catholicæ Religioni æquare, in dignitate, libertate, defensione, perpetuitate, &c. Hæc enim suapte naturâ ordinantur ad hæresin augendam, promovendam, stabilendam.

## X

**N**on licet pacisci, ut Jus Religionem mutandi, vel hæresin introducendi, cohæreat alto sive mero imperio, neque concedere, ut vi talis pacti hæretici ditiones Catholicas, hæreditate vel alio juris titulo ad se devolutas, reforment.

## XI.

**N**on licet hæreticis promittere, vel præstare auxilium, aut executionem in hæresi introducendâ, aut Catholicâ Religione expellendâ; est enim participatio actionis criminosa & sacrilegæ.

## XII.

**N**on licet subditos compellere ad hæresin amplectendam, vel injustam emigrationem, neque ad hæc auctoritatem vel auxilium præstare; tum ob causam dictam, tum quia id est directè animas perdere.

## XIII.

**N**on licet Ecclesias & Bona Ecclesiastica hæreticis cedere, vel concedere, aut restituere, ut unâ cum alto sive mero imperio, habeant jus introducendi aut reducendi hæresin, sive reformandi, ut loquuntur. Est enim hoc positivè animarum perditioni cooperari.

XIV. Si